





SERENISSIMO,

FORTISSIMO, POTENTISSIMO,

LUDOVICO-JOSEPHO

PRINCIPI CONDÆO,

BORBONIO DUCI,

IN ÆTERNUM

REVERENTIÆ, CULTÛS, OBSEQUII,

MONUMENTUM

DICAT, VOVET, CONSECRAT, OFFERT

Obſequentiſſimus & humillimus Actûs Præſes,

L. GABRIEL DUPRÉ.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ menſis Januarii, anno Domini M. DCC. LX.

PRÆSIDE,

M. LUDOVICO-GABRIELE DUPRÉ, Doctore Medico, Theſeos Auctore.



An in verminoſis affectibus etiam inflammatoriis maturanda purgatio?

I.



ARTIUM omnium præclariſſima, quæ neceſſitate, utilitate, nobilitate cæteras longè præſtat, Medicina. Lene miſero homini ſolamen! Felix ſua ſi noſſet bona! Nullum enim promtius aut præſentius aliundè mutuatur auxilium, quo horrendam ægritudinum cohortem debellare queat, quas illi nempè coævas effecerunt injuriæ & viciſſitudines inevitabilis ſemper- Boerhaav. Inſtitut. Med. proleg. n. 3.

que neceſſarii aëris, alimenti natura & potulenti, corporum irruentium vis, actiones vitæ, fabrica denique compagis humanæ. . . Servat præſentem, amiſſam reſtituit ſanitatem ars illa ſalubris : unde velut ex amœno fonte plenior atque ſuavior decurrit vita, gratior it dies, ſoles etiam nitent melius, & quæ ociùs corripuiſſet gradum, ſemotæ jam tardat mortis dura neceſſitas. Innumera ſcilicet & quidem proficua promit ſubſidia, quibus infelices, nec ſatis culpandi dùm continuò valetudini decoquunt ſuæ jacturas pulchrè reſarciant. Cuique verò ægritudini, ægro, convenientiora miniſtrare, cuncta ſapienter & commodè ex ipſius naturæ voto, nécnon juxtà rectam medendi normam ita definire, ut quæ huic illive morbo aut cauſæ illius eſt accommodata magis, & quæ citiùs ac tutiùs morbi fomitem ſuperando præſtantior eſt, eligat, hoc ritè medentis opus, hic labor !

I I.

QUÆ conſtans & oculatiſſima ſeminibus inhærens naturæ lex moderatur ac dirigit, cæco putredinis caſui tribuere quem non pudeat Medicum ! Procul hinc eſtote pſeudo-galenici. Opinionum commenta feliciſſimo hoc ſcientiarum ſæculo delevit dies & naturæ judicia confirmantur. Non à putreſcente generantur κάκοχιλω vermes humani ; ſed molli & æquabili putreſcentium rerum calore, lumbricorum, in inteſtinis latitantia nidulantiaque foventur ovula ; mox futuri animalculi torpida in ovulis & inertia excitantur primordia ; primaque ſic vitæ aura, iiſdem quaſi inſufflatur & ad actum reducuntur ſenſim explicanda. Quæ mirabili partium nexu, organorum ſtructurâ nobili, vitaliumque functionum exercitatione gaudent, inſectis atque viventibus, ut aiunt, imperfectis annumeramus. Illorum tres præcipuæ aſſignantur ſpecies *, quarum prima illa eſt, quæ lumbricorum terreſtrium ſimili-

Andry. de la gener. des Vers. tom. 1. pag. 188.

* Qui cæteras, quæ propè modum infinitæ ſunt, edoceri voluerit, Clariſſ. auctoris eximii ingenii, doctrinæque ſingularis opibus inſtructum adeat tractatum.

tudinem obtinet; & quæ hinc propriè lumbrici, vermes longi & teretes, ſtronguli nuncupantur. Breves ac teretes alteram conſtituunt, vermiculis in caſeo obviis non abſimiles, à perniciſſimo, quo donantur, motu aſcarides dicti. Tertiam dat planus ſive latus lumbricus, Plinio tænia, ſolium aliis dictus; faſciæ inſtar ulnarum plurium aliquando longior, geniculis, internodiiſque per intervalla diſtinctis ac tranſverſim diviſis, cucurbitæ ſeminibus aſſimilatis conſtans. Omnium frequentiſſimi longi-tereteſque. Nulli quidem in hominum vitam invadunt frequentiùs nec infrequens eorum quos libithinæ mactarunt, numerus. Divitum ſæpè quorum gravi ſaginatur eſculentorum mole ſtomachus ingluviei ſoboles. Quibus autem res eſt anguſta domi oleribuſque ſimpliciſſimis jejuna gravantur ut plurimùm nec reficiuntur ilia, quot heu! Laceſſitis propulſanda hoſtium tela. Cuilibet regioni, ſexui familiares. A lactantibus & pueris præſertim ad ſenes uſque nullum non lædunt; at in illis ob virium infirmitatem, cibi delectum, bilis ipſius blanditiem, ſuccorum omnium dulcedinem & copiam frequentiores atque periculoſiſſimi omninò. Hinc etiam debilium, delicatulorum, cachecticorum, eorum quoque qui fructibus duntaxat, lactariiſque victitant; aut caſeo, mellitis, & carnibus indulgent nimiùm, hoſtes infenſiſſimi. Omnium ſunt anni temporum. Hyeme tamen ac vere novo graſſantur imprimis; pluvioſo atque humido cælo magis, ſicco minùs leniuſque deſæviunt. Urbium incolis parcunt ſæpius, ruricolis ferè nunquam. Mirum quot in omnibus pariant morbos, & quam inſolitos! In chronicos & acutos, in ſimplices vel complexos dividimus. Horum alii inflammationis participes, expertes alii. Quemlibet verò morborum omnium quaſi compendium rectiùs ſanè quàm morbum dixeris. Prout enim ex ſingulari hominum temperie, ætate, regione, vitæ inſtituto, tempeſtate, vel & ex aliis unà concurrentibus cauſis à morboſâ hâc humorum diatheſi afficiuntur ægri, quot & nova in dies exurgunt ſymptomata, quæ ut in facies ſeſe

vertunt innumeras, medenti variis illuſura modis, ſic morborum curam protendunt, aut pariunt læthales. At diverſam licèt horum ratione faciem oſtendant diverſi, in eo tamen ita conſentiunt unanimes, ut, nullum, nè exceptis quidem inflammatoriis, in quo primis in viis non turgeat materies, etiam in principio morbi, reperias. Quod ex ipſamet Peripneumoniâ verminoſâ facilè comprobatur. Comes huic aſſidet indivulſa febris, quæ & acriùs urget & pluries exacerbatur de die. Præ reſpiratione difficili, tuſſiculoſâ, gravi, cum inexplicabili pectoris anxietate tantùm non ſuffocantur ægri; prodeunt ſputa creberrima, plurimo referta ſanguine. Ab ipſo morbi inſultu, jactatione, inquiete, anorexiâ, ſingultu, ructu frequenti ſubacido, nauſeâ, vomitu, vel ventris torminibus atque diarrhæâ laborant. Liveſcunt genæ rubentque viciſſim; fœtet os acidum injucundè ſpirans; ſplendent oculi; ſtillat è naribus ſanguis, ſternutant; inter ſomnum dentibus ſtrident, ex improviſo ſæpiùs animo linquuntur, ſudore frigido madent; frigent extrema; delirant; expergiſcuntur horrificè tremuli; ſordibus ſcatet lingua quæ pro febris ipſius intenſitate ſicca nigraque ut plurimùm conſpicitur; tumet abdomen; pulſus deficiens eſt, mollis, obſcurus, inæqualis admodùm. Urina lactea, turbida, vel ſubſidens. Vermes ipſos vomitu, ſeceſſuque interdum egerunt. Quæ ſi non omnia ſimul & ſemper, illa tamen in omnibus annotantur ægris quæ ſuos verminoſæ primarum viarum proluviei natales debent, præſentemque comprobant, ſymptomata.

I I I.

ARTIS noſtræ dignitatis, civiumque ſalutis immemores venæ ſectionem tanquam inutilem in curandis morbis etiam inflammatoriis allatrantes expungant Helmontiani. Sanguinis miſſioni tamen ſua laus eſto. Præſentiſſimis ingruentium quas antevertat, aut ſævientium quas retundat ægritudinum auxiliis jure annumeratur. Nullâ ſiquidem tutiori viâ, plurimos

quibus affligimur morbos citò rescindas & jucundè. Hæc superatâ videlicet solidorum resistentiâ, ardentissimas extinguit inflammationes; hæc obstructiones contumacissimas aperit, hæc intricatiores reserat infarctus, furentes humorum frangit impetus, cruoris ipsius motos componit fluctus, luxuriantem coërcet, minuit redundantem, languentem excitat. Hâc distentis ultrà tonum vasis restituitur elater; hinc expeditior liquidorum circuitus, secretio, excretio. Cave tamen ad illam adversùs omnes quibus jactamur procellas, velut ad anchoram unam tutissimamque confugias. Ut non paucis oportuna feliciter succurrit morbis, sic eosdem exasperat & auget intempestiva. Sanguinem sectâ venâ mitti novum non est, sed nullum penè morbum esse in quo non mittatur novum est. Hinc nedum illa prosit, sæpiùs adversatur. Quare primo quamvis intuitu inflammatorii morbi nomen vultumque præse ferat ipsamet Peripneumonia, & ex probatissimis certissimisque Medicorum ab Hippocratis ævo nostrum ad usque, principiis & observationibus venæ sectionem haud dubiè repetitam postulare videatur; nec te ideo febris ipsius intensitas, sputumve cruentum aut doloris alicujus insolentia, nec pars illa sanguinis, ut aiunt, insulæ superior, quæ albâ, durâ, crassâ, rigidâ ferè corii instar porcini ægrè scissili pelle concrescit fallant inexpertum, at quis sit inflammationis hujusce modus, quæ causa priùs æstimes.

Cels. lib. cap. 10.

IV.

DIVERSAM omninò medelam reposcit morbus idem prout à variâ causâ ortum ducit. Et inquisitu licet utilissima, maximèque necessaria quæ morbi prima remotam tamen corporique inhærentem in consilium advocare sapientis est. Hæc ut plurimùm medenti quò se vertat inscio monstrat iter. Ancipitem firmat, juvat laborantem, unde curationis ipsius securitas & præstantia Medici. In hâc porrò peripneumoniæ specie, verminosam primis in viis nidulari cacochyliam

evincunt accuratè depicta modò morbi symptomata. His expedita viscidior & cruda, quâ turgent materies vasa subit, sanguinique allabitur. Quæ spirat illa exitiali postquam hunc fœdavit commercio, liquidis incendia parat, vel etiam oborta nedum restinguat, accendit. Fonte hoc derivata, præcipiti lapsu in pectus irruit cacochymia verminosa; hinc vasorum pulmonalium infarctus, obstructio, cruoris ipsius stagnatio, obstructas in partes irruentis aucta celeritas, inflammatio. Est enim illa sanguinis rubri, arteriosi in minimis canalibus stagnantis pressio & attritus à motu reliqui sanguinis moti & per febrim fortiùs acti. Hunc autem morbi fomitem à principio educere morbum superare est. Purgationem in cæteris quidem affectibus verminosis instituendam apud illos scilicet in confesso est, quos æquus amavit Deus & quibus etiam ad artem nostram è meliore luto finxit præcordia; in iisdem verò quoties urget inflammatio & quidem ab ovo, pariter admittendam jure contendimus. Huic igitur eliminandæ mephiti temet protinus accingas; ne cùm irreparabili ægrorum damno tenues dilapsus in aquas vinclis excidat Proteus alter; deludat incautum, cunctantem citò citiùs prævertat; hujus indesinenti in sanguinem regressu, continuoque pulmonibus appulsu, inflammationis, febris ipsius exacerbationem, abscessus aut gangrænam citò læthalem pariat. Turget materia; morari ergo in talibus malum. Occasio præceps.

Boerrhar. de cognosc. & curand. morb. Aphor. 371.

Hippocrat. Aphor. 10. sect. 4. Aphor. 1. sect. 1.

V.

ECQUID enim purgatione & quidem tempestivè sic institutâ feliciùs istas auferet sordes? Harum in sanguinis verticem ingressui validiùs obstiterit? Quas ibidem crudeles ederent strages citiùs antevertet? Gementi tanto sub pondere naturæ commodiùs opitulabitur? Morbi ipsius denique radices evellet potentiùs? Nonnè hæc humorum visciditatem frangit? Spiritus ab acido veluti quodam irretitos expedit, mobilior

inde morbi materia, ſicque tutiùs eximitur, reducto fluore concreti motu ſtagnantis ſolvitur inflammatio; peripneumonia ſanatur. Quid quod in ipſis affectibus verminoſis etiam inflammatoriis noſtræ conſentit clariſſimi Romanorum Hippocratis ſententia. Inflammationes enim quales ſunt pleuritides, peripneumoniæ purgatione aliquando tolli debere docet, etiam in ipſo morbi principio, non inflammationis quidem causâ ſed ratione materiæ morboſæ, magnâ copiâ primis in viis congeſtæ ac morbum producentis foventiſque. Divini ſenis auctoritate atque experientiâ freti, quam in praxi multoties utiliſſimam tutiſſimamque norant viam, ne à rectâ deflecterent, inſtitêre Duretus, Ballonius, Hollerius quorum doctrinâ, Bagliviana firmatur aſſertio. Sed & purgationem in ipſis inflammationibus inſtituendam etiam à principio, eventu ſanè feliciſſimo probat illa, quæ in dyſenteriâ ab artis ſanandi principibus admittitur hodierna curandi methodus. Veram tunc nec contemnendam urgere in inteſtinalibus, glandulis ac tunicis, à pravâ ventriculi & inteſtinorum cacochyliâ; lentâ dein ſpiſſiore, vaſa comprimente ſanguiniſque proinde circuitum præpediente lymphâ ortam inflammationem nemo neſcit. At præmiſſâ ſi libuerit, venæ ſectione, quam ſæpe & citò, in ipſo morbi principio, quamvis adſit febris ut plurimùm acuta cum dolore notabili, & quaſi terebrante, ſolius radicis Braſilienſis exiguâ doſi propinatæ, vi ſolvente, purgante, ſanabatur! Haud aliter rem ſe habere quotidiana docet obſervatio in eryſipelate curando; quoties nimirum inflammationem oriri, vel obortam, à primarum viarum colluvie foveri deprehendimus. Irritis omnibus, ab emeſi ſeu purgantibus oportunè datis, periculoſiſſimi ſæpe morbi quàm facilis exitus! Quo verò maximè vergant eò ducenda per loca convenientia. Cui quidem feliciùs collimabis ſcopo ſi purgantibus anthelmintica conjunxeris. Quem hæc enim tutiùs hoſtem ſuperant, devictum eliminat tempeſtiva purgatio. In acutis, inquies, ex Hippocrate raròo & in principiis purgante utendum; eſto: at ſi raròo ergò

Bagliv. pend. ad pl[…] ritid. & paſſ[…] in oper.

Hippocr[…] Aphor. 21. ſect. 1.

Aphor. 2[…] ſect. 1.

aliquando, quoties nimirum diligenti priùs adhibitâ cautione; materiem tunc signis constat turgere certissimis.

Ergò in verminosis affectibus etiam inflammatoriis maturanda purgatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Bartholomæus-Tussanus le Clerc, Chirurgiæ Gallico idiomate Professor designatus.

M. Ludovicus-Gabriel Dupré, actûs Præses.

M. Antonius Petit.

M. Stephanus Pourfour du Petit.

M. Pascasius Borie.

M. Florentius-Carolus Bellot, Professor Regius, & utriusque Pharmaciæ Professor.

M. Carolus-Ludovicus Liger.

M. Joannes-Stephanus Guettard, Regiarum Academiarum Parisiensis, Rupellensis, Florentinæ & Stokolmiensis Socius, Censor Regius & Historiæ naturalis Musæi Serenissimi Ducis Aurelianensium custos.

M. Natalis-Maria de Gevigland, Regiorum in Germaniâ, Ducum & Militum Nosocomiorum nuper Medicus & M^{ri} Poissonnier, Scholarum Professoris vices gerens.

Proponebat Parisiis CESAR COSTE, Arelatensis, Doctor Medicus Avenionensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1760.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typographi. 1760.